



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

Epistola CLX. Ioannis Papae VIII. Ad Carolvm Regem. Hortatur vt legatos  
mittat, & in auxilium ecclesiae Romanae veniat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

simus. Quoniam nostræ ac vestræ terræ salutem , totius videlicet populi precioso Christi cruore redempti, pastorali dumtaxat more desideramus perficere , & idcirco , ut pertinax inimicorum comprimatur audacia, vobiscum pariter cupimus conuenire. Quapropter volumus, vt locum etiam nostræ collocutioni, quem aptum esse cognoscetis, nostro præsulatu , vestrīs sub celeritate significetis apicibus. Quia nos, Deo propitio, illuc sine mora properare , & vna vobiscum alacriter loqui non prætermitemus. Data vt supra.

## EPISTOLA CLX.

## IOANNIS PAPÆ VIII.

AD CAROLVM REGEM.

Hortatur vt legatos mittat , & in auxilium ecclesiæ Romanæ veniat.

*Carolo regi.*

**R**EGLIS excellētia vestræ literas recipientes , atque relegentes, vt in eo, quod antea nostro præsulatu di-  
rexistis , vestro videlicet amore , dilectioneque maneremus, non solum, vt iam olim retulimus, verum etiam magis ac magis nostræ voluntatis affectum ad vestræ exultationis cumulum ampliare magnopere cupimus , atque in omnibus ceu carissimum filium vos retinere procul dubio satagemus. Tantum vt quo celerius , sicut mandastis , vestrō idoneos legatos ad nos dirigere potestis , aliquatenus non prætermittatis; cum quibus sane & exaltationem sanctæ sedis apostolicæ , & istius terræ salutem , vestrūmque honorem <sup>\*farte</sup> profigare, considerareq; firmissime valeamus. Et ideo vestræ magnitudinis gloriam exhortamur , vt præcinctentes quasi vir lumbos tuos , & potentiae Dei brachio aduersus inimicos potentissime roborati, iam ipsi venire non dubitetis; quoniam si tantæ calamitatis pressuram , quam sancta Romana mater vestræ ecclesia , & ipsius terra quotidie ab inimicis patitur , cognouissetis , nobiscum vtique pariter doleretis. Quapropter fili carissime , antequam inimicorum insidiæ plus accrescentes præualeant, nostram deuotionem , atque consilium pio intuitu attendere nullo modo definatis, sed more parentum ve-

Y iii

strorum ea, quæ necessaria sunt nobis, instantissime peragatis; quia nostri apostolatus vlnis extensis alacriter amplecti regalem præsentiam vestram desideramus. Tertio Nonas Aprilis, indictione XII.

## EPISTOLA CLXI.

## IOANNIS PAPÆ VIII.

AD ATHANASIVM EPISCOPVM NEAPOLITANVM.

Commendat eius erga se obseruantiam. de suo incolumi  
reditu certiore ipsum facit. hortatur ad  
perseuerantiam, donec simul  
conueniant.

*Reuerendissimo & sanctissimo Athanasio episcopo Neapolitano.*

**Q**VIA non solum tuis præcipue aetibus, quibus deuotionem sanctitatis tuæ circa nos fidelissimam ostendisti existere; verum etiam nobis longe pro ecclesiæ statu manentibus quomodo eam illibatam in omnibus conservaueris, fidelium nostrorum relatione didicimus. Quam obrem dignas tuæ dilectioni referimus grates, innotescentes sane nostri præfulatus reuersionem iuxta desiderium tuum esse, Deo fauente, prosperam, atque incolumem. Ideo more apostolicæ paternitatis almitatem tuam monemus, cum Apostolo dicentes: *Confortare in Domino, & in potentia virtutis eius: quoniam fidelis est Deus, qui non deseret sperantes in se tentari supra quam possunt, sed faciet cum tentatione prouentum, ut possitis sustinere.* Tua igitur reuerentia in his instantis aduersitatis casibus aliquatenus non frangatur: quin potius in Deo confidens roborata consistat, donec, Christo adiuuante, nos vobiscum speciali præsentia iuncti simul loquamur. Quia tunc, Deo permittente, cuncta quæ necessario statuenda sunt communi eloquio, atque consensu pertraetata prouenire credimus in salutem. Tamen nostræ voluntatis affectum per Petrum venerabilem diaconum tuum, communemque fidelem, tuæ dilectioni innotescendum mandaimus, quoniam te quasi proprium filium diligentes in omnibus nostris volumus habere consortem. Data vt supra.

*Ephes. 6.**1. Cor. 10.*